



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Nicolai Svsii E Societate Iesv Opvscvla Litteraria**

**Suys, Nicolas**

**Antverpiae, 1620**

Sena I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69342)



## ACTVS PRIMI

## SCENA I.

PHILOXENVVS senex.

PISTOCLERVVS adolescens.

LYDVVS seruus.

**V**olo te mihi obsequentem esse. Pist. Vt gnatum decet.

Phil. Tum gymnasiū adire, apud magistrū assidere,  
Legere, commentari, scribere. Pistocl. Nil mauelim.

Phil. Cauesis vel digitum longè deuies, nisi  
Lignatum ire velis infelici de ligno Hercule,  
Quoque corium tibi pingatur tuā de purpurā.

Pist. Faxo, pater, ne quid diuidiæ fiet tibi.

Et obsequens obediensq; ero tuo

Mori ac imperijs: gnauum me atque strenuum  
Dabo libris, & litteris, ceræ, stylo.

Phil. Nunc experiar an fungum genui an filium.  
Volo te mihi experimentum dare iam frugis bona  
In herbâ cum sies. Rarò messis fauet,

Cum luxuries teneram segetem enecat. Vide  
Num dente depasci vlmeo luxuriam velis.

Pist. Imò vnicè me morigerum dictis tuis

Faxo vt deprædices. Phil. Heus Lyde, Lyde, ades.

Pist. Regiones colere mauelim Acheronticas

Quàm perferre hancce diutiùs seueritudinem,  
Quæ miserum ergastulo me includit pessimo.

Phil. Age sis aures mihi totas, & mentē totam eloca.

Aut



*Aut vltimos parasitos facies, quæ te vsque attondeant.*

*Lyd. Eccere. quid vis? Phil. Adolescentē hunc nosti?*

*Lydus. Intus & in cute.*

*Pist. Mentiris furcifer. Tun' hanc nosti cutem?*

*Tuam Hercle licet nouit extimè & intimè.*

*Phil. Huic custodem te prepono sedulum:*

*Ne quid agat, ne quid dicat nisi te conscio.*

*Lyd. Manus Hercle illius habitabo perdius,*

*Linguamq; pernox incolam Argo oculatior:*

*Ne quid agat, ne quid dicat nisi me conscio.*

*Phil. Haud somniculosè hoc agendum est, mi Lyde.*

*Lyd. Mirum est, me vt faciã te opere tanto quæserè.*

*Indigna digna habenda sunt herus quæ iubet.*

*Pist. Ego, Pol, saxo discas parere hero alteri,*

*Plures orienti faciunt, quàm occidenti. Ego*

*Oriens, illic est occidens ipsissimus.*

*Phil. Heus fili. Pistocl. Mi pater. Estne quod iubes?*

*Philox. Huic*

*Parere te volo. Pist. Pro rotã me vti licet.*

*Nempe hoc est; parebo, dum parere integrum est,*

*Venere saluã, & lubidine, & meis iocis.*

## SCENA II.

*PISTOCLERVS adolescens.*

*LYDVS seruus.*

*Di te perdant, mucose senex: quin me cruci*

*Duis discipulum potiùs, barathroq; famulum!*

*Quàm me tam diris miserum torqueas modis.*

*Scholas nempe iubes addeam, studijs incubem,*

*Q 2*

*Legam,*